

conuerti uoluerunt abni-
ciate fū. Habem cer-
tū. & sc̄i. ut i meditio-
re p̄rac̄mānt. ut nūl
fūs mērtis tribuā.
iae deputantes. dedit in
tūmēku. r̄s fūtne c̄stantū.
mūllis q̄d c̄tēlibus ait
m̄ sc̄i deuītāte mūl-
tū d̄do r̄u. infyō. Nūl
m̄ nūl d̄est uñcā s̄cp
alit necessārū. si quis
eq̄ sp̄uept̄ q̄d monun-
tūr. Tūl aut̄ negle-
rit alius mūlla fū.
r̄mōne fū. Am̄sc̄p̄.

tātū ad s̄f̄flementationē. hūuſ p̄te
fētiſ p̄tinent uiae. qđē mūndū
delet fātē q̄p̄e. a. i maſ ſi patat arpo;
Vnde dicitur. At illū neq̄leret. & abie-
clūſ mūllā fū. alius ad negotiatio-
nē fū. I mūllā r̄te e. l. r̄tētēno
immoderata incumbere. In necotia-
tione uero r̄te e. ac flori uero ieci
latum lucis in hārāte. Quaenam
alius intētūſ labor i tēreno. alius
uero mundi hūuſ ad nonib. dediſ
myſtēriū incarnationis dominicæ
persate. & ſedm ullū unire diſsimu-
lat. q̄p̄si actullā uel neq̄tūm p̄
genſ uenire ad teq̄ ſi miptas reculat
I t̄pletum quod e grātia ſi mūlī
uocant. p̄mūlī.

F E I S M U T S E I E R S F E P P

CONTINENTUR HIC VOLUMINI
DUXCANI INDEX! SCOTI

Disputationes,

Theses Logicae.

Propositio[n]es Astronomicae de Dierum et Annorum differentiis
De facultate vegetante.

De Philosophia ejusq[ue] Instrumentis.

In XI. Meteororum de Misericordia e Disp. I.

In XII. Meteororum de Concordia . . . Disp. II.

Disp. Pathologiarum, I. de Morbis.

II de Cais Morboru[m] in gre.

V.

VI.

II X.

Disp. posterior de Praesagijs

De Peste disp. prior.

De Natura et Facultatib[us] medicamentorum.

De Compositione et Preparatione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinib[us], Scarificatione

De Febris Naturae e disp. I.

De Febribus

II.

De Fibribus

III.



PROPOSITIONES MEDICÆ
DE PHTISI EIVS-
QVE CVRATIONE:

Quibus
IN ILLVSTRI IVLIA:
ASPIRANTE IEHOVA:

D. R. C. E.

RRAESIDE MAGNIFICO ET CLA-
RISSIMO VIRO, FRANCISCO PARCOVIO,
Philosophie & Medicinæ Doctore, eiusdemque facultatis
professore ibidem & Decano, ac pro tempore
Academiæ vicerectore;

*Ad obtainenda in arte Medica Docto-
ratus insignia;*

patrocinabitur

M. CHRISTIANVS HASTHAEVS Rinthelensis Reipub.
Osnabrugensis Physicus Ordinarius.

Fiet disputatio 25. Septembr.

HELMAESTADII
Excudebat Jacobus Lucius, Anno
M. D. XCVI.

43



MAGNIFICIS ET AM-
PLISSIMIS VIRIS, NOBILITATE,
PRUDENTIA, ERVDITIONE, AC NITIDIS-
SIMO omnium virtutum splendore Clarissimis,
Dominis Consulibus, Consularibus, Senatoribus
& Secretario, inclytæ Reipubl. Osnabrug-
gensis, Dominis & fautori-
bus suis;

In doctrinæ testimonium;
Grati animi Symbolum;
debitæ obseruantia monumentum

Hanc de Phtisi disputationem nuncupat
& inscribit

CHRISTIANVS HASTHÆVS
Rinthelensis Reip. vestra medicus.



PROPOSITIONES MEDICAE
de Phtisi, seu Pthœ:

DISTINCTIO PRIMA

De Tabe in genere.

Thesis I.

Multæ sunt ac variæ morborum species, quæ corpori maciem paulatim inducunt.

2. Ideoq; cùm macies Phtisini etiam assectetur, nonnihil perplexa illa tabis varietas est nobis generatim extricanda, antequam ad specialem Phtiseos trationem prosiliamus.

3. Est autem Macies consumptio quædam siue extenuatio, quâ ob humidi naturalis penuriam corpus sensim macra ariditate contabescit.

4. Hæc ariditas implicat hecticam diathesin.

5. Hectica diathesis est dispositio, quâ vniuersum corpus, calida & sicca qualitate, vix sensibiliter attreritur, eius substantia simul conflagrante.

6. Etsi enim insitus calor perpetuò & iugiter corpori aliquid decerpit: si tamen temperamentum saluum persistat, & organa nutritionis illæsa perdurent, tūm nutritiō hoc resarcit, quod calor identidem absorbet ac depascit, ne corpus præmaturā tabe inarescat.

7. Etenim nativus calor, à cuius vernaculo lumine, perenni motu, & nobilissimâ agitatione, vita in organico corpore exsplendescit; & vehiculum peculiare desiderat, cui innitatur: & istrumenta idonea insuper exposcit, quibus suas peragat actiones.

A 2

g. Oleo.

8. Oleosum autem & pingue humidum nativo caloris sub-
sternitur: quod ex semine fecum aduehit primum: postea
verò ex puriore alimenti succo id prolestat.
9. Huic humido, ceu radici insitum: & eo alitur, perinde
ut flamma oleo enutritur.
10. Vnde humidum istud duplex resultat: RADICA-
LE & ALIMENTALE.
11. Radicali humido actu insidet nativus calor: Alimen-
tale autem humidum ex nutritione ipsi subinde allabitur, ut
radicalis iacturam instauret.
12. Quamdiu ista duo humida calori suppetunt analogas,
tām diu viu corporis operationes salutē emicant, nisi forsan
calor, aut toxicō disiociatur; aut instrumentis labefactatis
præfocetur & obteratur.
13. Ast subtracto alimentali humido, calor suum radica-
le fomentum mox depopulatur: non secūs, ut flamma elych-
nium exurit ac concremat, nisi aduentitio alio humido con-
uenienter irroretur.
14. Hinc tres obtinet hectica gradus:
15. Primus gradus est, in quo calor partes humidiores ac
molliores colliquat, resolut atq; dissipat: cuiusmodi sunt;
sanguis, adeps, caro, & humor per loca media partium simi-
larium dispersus.
16. In secundo gradu etsi calor non nihil arrodat sperma-
ticas partes; tamen gluten duntaxat, siue humidum alimen-
tale proximum absunit.
17. Tertius gradus est, vbi tabificus calor iam radicitus
insidet substanciali cordis, & totius corporis soli-
dioribus ac spermaticis partibus, & humidum radicale, siue
cambium exterit atq; exforbet.
18. Hectica porrò est duplex Primigenea & Deutero-
genea.
19. Hecti-

19. Hectica Primigenia est tabifica ariditas, quæ cordi
absq; aliorum membrorum morbis primariò inuritur, & ex-
indè in reliquum corpus prorepit.

20. Hanc concitare possunt luctuosus mœror, longa tri-
sticia, curæ arduæ, labores improbi, vigiliæ immodicæ, su-
dores intempestiui, balnea crebra, Venus immoderata, cali-
da alimenta & medicamenta; inædia longa ac frequens, te-
nuisq; ac parcus victus, præsertim in temperamentis bi-
liosis, congenita proprietas tabifica, aërambiens feruidus,
causus, febris denūm ephemera diutiùs protracta, neq; le-
gitimè persanata.

21. Ista enim omnia, non tantū spiritus succendunt,
sed & partes humidas absorbent, atq; solidas suo fomento
conuenienti defraudant.

22. Hectica deuterogenea est Tabes, quæ ab aliorum
membrorum morbis dependet.

23. Membra illa sunt, aut abdominis, aut Thoracis.

24. Membra abdominis rursus aut nutritioni deseruiunt,
aut generationi.

25. Nutritioni famulantur, ventriculus, intestina, venæ
meseraicæ, hepar, lien, renes & vesica.

26. Generationi vasa spermatica, testiculi, uterus.

27. Hinc diarrhæam, dysenteriam, venarum meseraica-
rum, Epatis quoq; ac lienis obstrunctiones & inflammatio-
nes; diabeticam passionem, gonorrhæam; atq; tūm menstru-
am hæmoragiam, tūm earundem Palyndromen, tabes ple-
rumque consequatur, si longo temporis tractu diutiùs per-
seuerent, vt ex proprio horum morborum elucet tractatu.

28. Membra thoracis, à quorum morbis secundario Ta-
bes proficisci potest; sunt musculi, pleura, diaphragma, me-
diastinus, pulmo.

29. Vnde pleuritidi, falso & acri catharro, nominatarum

A. 3 partium

partium vulneri , aimoptosi ac vlceri Tabes frequenter succedit.

30. Quocircà cùm adeó inuoluta sit atq; intricata Tabis doctrina , aduertendum est , Tabis vocabulum aliàs communì sensu ad omnes maciei species , quouis modo obtingant , generatim expandi : aliàs strictius coaretari , & soli pulmonis vlceri duntaxat astringi .

31. Si corpus illæso pulmone , ob benigni sanguinis penuriam , nutritionis vitio extabescat , peculiare Tabis nomen est atrophia .

32. Sin ob vlcus pulmonum corpus eliquescat , Phtiseos etymo tabem illam insigniunt .

33. Nos verò in hâc disputatione , seclusa atrophia , phtis in excutieimus .

DISTINCTIO SECUNDÆ

de Phtisis definitione & causis .

1. Est igitur Phtisis macies , siue magnitudo corporis imminta , quæ ab vlcere pulmonis dependet , hecticam implicans diathesin .

2. Dum enim vlcus in pulmone obhaeret , purulenta ibidem sanies coaceruatur , à quâ putridus & fuliginosus halitus in cor semper irrepit , qui solidam eius substantiam sensim extorrens , spiritui vitali igneā intemperiem paulatim inurit .

3. Hinc nutritio in Phtisi alimentum , nec quantitate , nec qualitate tale reparat , quale corpori hecticus calor deterit .

4. Quia igitur bona substantia in hoc morbo non repulitur ex nutritione : & genita hectico calore deflagrat , siue sit pinguedo , siue caro , necessariò macies exurgit .

5. Vlcus porrò , quod Phtis in inducit , est soluta vnitas pulmonum , cum magnitudine earundem immunita .

6. Causa

6. Causa istius ulceris est duplex : una pulmonis viciosa constitutio : altera materia abradens.
7. Viciosa pulmonum constitutio, est mollis, tenella, ac à primo ortu corruptioni parata eorundem diaplasis. Joh. Ferne-
lles de
morb. cae-
8. Materia abradens, vel propria ratione erodit ; vel ex pit. 10.
- accidenti.
9. Propria ratione, suaq; natura erodunt, tūm bilis, tūm pituita salsa.
10. Ex accidenti , ratione putredinis , quilibet humor putrescens.
11. Deinde materia abradens, quæ ulcus pulmonum infligit , aut aliundè dimanat ; aut ex vasis pulmonum apertis erumpit.
12. Rursus] quæ aliundè dimanat materia , vel à capite defluit ; vel ex inflammatione vicinarum partium prodit :
13. Materia à capite destillans est catharrus.
14. Quocirca si catharrus acris & falsus à capite in pulmones sèpè illabatur, vas pulmonum erosio, ulcus frequenter inuehit.
15. Imò quæcunq; destillationes cum tussi & raucedine diu affligunt, nisi temporis progressu per se conuiescant, Phtisis metum incutiunt. Holl. cap. de Phtisi.
16. Partes pulmonibus vicinæ , sunt thorax, pleura, mu sculi laryngis.
17. Vnde si post anginam, peripneumoniam, pleuritidem, vel empyema , purulenta sanies in pulmonum spogiosa carne diu commoretur , nec sputo satis tempestiuè exhauriatur, tūm ulcus ob putridam puris acredinem promptè emergit.
18. Deniq; vas pulmonis dehiscit, vel ob anastomosin, vel diapedesin.
19. In anastomosi vena rupta diffilit:
20. Hanc

20. Hanc accersere possunt, casus, labor, vulnus, clama-
tor, tussis impetuosa, aestus, balneum, vini potus, alimenta
calida & multa, suppressio mensium aut hæmorrhoidum.

21. In diapedesi verò ob tenuem ac ferosum ichorem va-
forum tunicae quadam raritate connuent, ut sanguis gutta-
tim exsudet.

22. Postremò ulcus, aut in utroq; est pulmone; aut in al-
terutro tantum.

23. Demùm ulcus, vel in propria pulmonis substantia re-
sidet; vel in yasis eiusdem delitescit.

24. Quæ omnia ex signis suis accuratè peruestiganda
sunt, atq; diligenter internoscenda.

DISTINCTIO TERTIA.

1. Signa verò Phtisis sunt duplia: diagnostica, & pro-
gnostica.

2. Signa diagnostica, vel viciatam pulmonum diaplasin
innuunt: vel Phtisim præsentem evidentius demonstrant.

3. Viciatam pulmonum diaplasin concernunt: cerebrum
debile & infirmum, à quo ad pulmones crebrò defertur ca-
tharrus: longitudo colli gracilis; epiglottis sub guttu-
re nimiùm extuberans: pectus strictum, angustum & carne
nudum: eminentia humerūm ad alarum similitudinem ele-
uatorum: punctura frequens spatularum, lateris ac mammil-
larum in tussi subinde percepta.

4. Signa porrò diagnostica sunt aut communia, aut pa-
thognomonica.

5. Communia sunt, quæ in alijs quoq; morbis interdùm
apparent: Eiusmodi hic sunt; tussis frequens & vehemens
in aurorâ maximè infestans, anhelitus difficultas, item cor-
poris extenuatio, febris lenta, parua, putrida, quotidiana,
no-

ana, noctu magis, quam interdiu affligens, fætor anhe litus
oculi profundi, calor in thorace mordax, sputum purulen-^{teste Holla}
tum, color faciei plumbeus, præterquam à cibo, cōcalfactio^{rso.}
corporis manifestior à pastu, debilitas appetitus.

6. Hæc enim signa et si Phtisi semper asscentur; tamen
soli Phtisi vbiq; necessariò non adhærent: Ex earum verò
syndrome Phtisin sæpè euidenter elicimus.

7. Signa pathognomonica sunt, quæ in nullo alio mor-
bo vñquam deprehenduntur: sed vni soli assistunt.

8. Pathognomonica Phtisis signa sunt: 1. Pulsus cum
annexa mollitie febrilis & hecticus: 2. ramentum seu crustu-
la quædam tussi extrusa: 3. sputum purulentum aquæ inie-
ctum ad ima decidens: & prunis impositum fætens: 4. do-
lor sinistræ spatulæ vsq; ad humerum, teste Michaële Saua-
norola.

9. Si vlcus in propria pulmonis substantia residet, tūm
citra dolorem carunculæ tussi quandoq; expuentur, nullo,
aut admodùm exiguo sanguine simul prodeunte:

10. Si in aspera arteria sit vlcus, ægrotus dolorem persen-
tiscet, & brōchia interdum cum exiguo sanguine reijciet.

11. Si verò secundum venas aut arterias pulmo vlcere con-
flictetur, ipsarum quoq; portionem aliquam, præsertim vbi
frustum vasis haud paruum fuerit, tussiendo propelli o-
portet.

12. Si Phtisis insequatur peripneumoniam, in vtroq; la-
tere sæpè succrelunt vlcera.

13. Num verò in dextro, aut sinistro pulmone vlcus latitet,
illud ex querelis circa istas partes innotescit:

14. Si materia propria ratione erodat, sputum erit fal-
sum vel amarum: si tale non sit, ex accidenti, ob putredinem
erodit.

B DISTIN.

DISTINCTIO QUARTA de signis Prognosticis.

1. Succedunt nunc signa Prognostica, quæ Phtisis extum præcinunt.
2. Hæc sunt aut generaliora, aut magis specialia. Generaliora se latius exporrigunt.
3. Sic ab anno 18. vsq; ad annum 35. iuuenes maximè incurruunt Phtisi, ob incontinentem victum: Hippoc. Aph. 29. lib. 3. Gal. in com. codem. Item Aph. 9. lib. 5.
4. Deinde autumnus tabidis malus: Aph. 10. lib. 3.
5. Phtisi nisi inter initia occurratur, malo inueterascente, non potest submoueri.
6. Deniq; vlcus pulmonis ob sequentes potissimum rationes difficulter curationem admittit: 1. Quod citra tussim nequeat repurgari: 2. quod illâ tussi rursus nonnihil dilaceretur vlcus, quod consolidandum erat: 3. quòd continuus pulmonum motus ulceris coalitionem quoq; retardet: 4. quod idonea ulceribus medicamenta ad pulmones integris viribus non pertingant: 5. quòd caro pulmonis ob mollitiem facilè putrefacat: 6. quòd medicamenta ob contrariam luctam scopos curatiuos difficulter assequantur: 7. quòd febris hectica in Phtisi efflagitet humectans; vlcus verò exsiccans. Gal. 4. de loc. aff. cap. 8. II. 15. Item 5. Meth. Meden. Item Donatus ab Altomari: Mich. Sauanarola: Hieron. Capiuac. Holler. cap. de Phtisi.
7. Signa magis specialia sunt, quæ hîc spem curationis aut omnino præscindunt, aut reseruant.
8. Signa Phtisis deploratæ spem prorsus adimunt.
9. Sic vlcus inueteratum, cui annexa est cacochymia in Phtisi non persanatur.

12. Præ-

10. Præterea in confirmata & deplorata Phtisi genæ admodum liuido pallore suffunduntur: vires magnoper elanguent: pedes nonnihil intumescunt: musculosa caro plurimùm flaccescit: corrosa pulmonum portiuncta tussi sæpiculè extunditur: vngues incuruantur: capitis capilli, ob siccitatem, vel virium imbecillitatem, defluunt: nauseabundo fastidio cibum respuunt: lubricum alui profluum ob potentiae debilitatem superuenit: sputum est vehementer fædi odoris: præcordia sursum conuelluntur: facies demùm hippocratica obrepit.

11. Spem verò curationis in phtisi alunt: vires adhuc nonnihil validæ: vlcus non adeò malignum, inueteratum aut fistulosum: pectus carnosum: sputum album, æquale, eiusdem coloris, facilè erumpens, ab inflammatione alienum, venter quotidiè naturaliter egerens.

12. Quare si spes curationis aliqua ex hisce signis adhuc eluceat, summa arte & ingenio in phtisis therapæia solers ac industrius medicus desudabit.

Hipp. 2.
trad. non
multo poſt
princip.

DISTINCTIO QUINTA

De cura Phtisis:

I. de diæta.

1. Medicus in morbi curatione certos sibi scopos præfigit, quorum ductū ad sanitatem ægroti, tribus suis instrumentis accuratè collineat.

Auicen lib
bro 1. Feno
4. cap. 1.

2. Obuersantur autem illi in cura Phtisis sex potissimum indicantes scopi: 1. Causam vleris concernit: 2. ipsum vlcus: 3. Pulmones: 4. febrim. 5. magnitudinem imminutam 6. va- ga symptomata.

3. Tria Medici instrumenta, quibus ad hosce scopos per-tingere laborat: sunt Diæta, Pharmaceia & cheirurgia.

B 2

4. De

4. De his sigillatim dispiciemus.
5. Diæta primum salubrem ac conuenientem vsum sex rerum non naturalium perstringit.
6. Harum vsus in therapeia phtisis, aut communis est, aut particularis.
7. Communiter omnes Phtisici defugiant iram, tristitiam, & omnia anxia animi pathemata, sollicitos mentis labores, exercitia immoderata, cruditatem, venerem, vigilias nocturnas: hilaritatem mediocrem adfectent: quieti indulgeant: somnum ad 10. horas extrahant: Locum exercitij suppleat mollis ante cibum ambulatio, vel lenis frictio: Alui excremeta quotidie citra lubricitatem, naturâ vel arte extrudant.
- Michael
Sauanaro-
la. & Do-
natus Ant.
ab Altomar-
ri cap. de
Phs.*
8. Deinde cibus ipsorum 4. astringitur conditionibus: 1. sit paucæ quantitatis: 2. multi nutrimenti: 3. facilis digestio-
nitis: 4. ægro 3. indies subministretur.
9. Particulariter vsus sex rerum non naturalium heic dis-
crepat, pro diuersa illa medici intentione, qua nunc ulceri, nunc febri, nunc imminutæ magnitudini speciatim oblu-
ctatur.
- Tajem se-
colum ne-
ges, ars co-
stabat.*
10. In cura igitur ulceris aer purus sit, ac sine ventis sere-
nus, temperatus, aut non nihil siccus, in quo neque frigus, neq; calor manifestè admodum exsuperet.
11. Alatur præterea ægrotus victu siccante: vnde cibus ipsi præstituatur ex ptisana, alyca, amylo, oryza. Vescatur carnibus vitulorum, hœdorum, arietum castratorum, porcorum iuuenum, gallinarum, caponum, perdicum, columbarum, quibus siccantia, tum superiora legumina, tum alia pas-
sim adijciantur. Pisces saxatiles squammosi ex aquis mundis currentibus ipsi suppeditandi: in primis verò cancri fluuiati-
les. Ex bellarijs ei apponantur; ficus, vuæ passæ, dactyli dulces, pineæ, Phistici, amygdalæ, pruna, cerasa, pyra cocta, saccharoq; aspersa.

12. Pro



12. Pro potu aqua mulsa vtatur: Item ptifana: in principio quoque & fine pauxillulūm vini ipsi non officit.
13. Demūm lac, vt cibum quendam diuinum in Phtisi omnes fermè extollunt: Ratione enim seri abstergit, ratione butyri nutrit, ratione verò partis caseosæ agglutinat.
14. Verùm in eiusvsu multæ conditiones sunt animaduentæ: 1. ægrotus neque febri, neq; siti , neq; capitis dolore multūm infestabitur. 2. Non est dandum lac, nisi purgato ventriculo. 3. Horis quatuor alium cibum ac potum anteuerat. 4. Post eius usum ægrotus, neq; dormiat , neque motu se concutiat. 5. Quantitas lactis initio non excedat vnc. 3. Ab his, inspectâ naturâ, ætate ac ægrotantis consuetudine, si opus fuerit, deueniendum sensim ad vnc.vj. 6. Ob debilem ventriculū, aut mel rosaceum, aut trochisci diarhodon ipsi possunt immisceri. 7. Ratione indicantis scopi peculiare aliquod lactis genus deligendum, & instituto conuenienter accommodandum. L A C asininum & caprinum cæteris plūs detergūt: Muliebre & ouinum vires magis reficiunt: Ad glutinandum verò melius est vaccinum: in primis à quo butyrum est extractum.
15. Postremò in abstersione ulceris cibus potissimum elixus desideratur : in consolidatione verò assus.
16. Ad abstersionem in primis vtendum ptifana cum cremore fœnugræci, & pauxillo saccharo rosaceo recenti , per filtrum simul traiectis : Item aqua mulsa cum pauxillo hyssopo, folijs marrubij & radice Illyrica: Iusculis ex farinâ alborum cicerum, succo cancrorum : vitellis ouorum sorbilibus cum saccharo rosaceo recenti.
17. Ad consolidationem ex alimentis præcipue conferunt; alæ, extremitates, costæ atque pedes hœdorum, vitulorum ac similiūm : Item ouorum vitella tremula cum saccharo rosaceo antiquo, bolo armeno, trochiscis de terra sigillata : caseus quoque mollis & recens.

B 3

18. Potus

18. Potus etiam astrictionem aliquam hic combibat ex corticibus, granatorum, Rhoi opsoniorum, rosis siccis, myrti baccis & ex igniti chalybis frequenti iniectione. In lacte quoque igniti filices restinguantur, facta, si placet, succi hypocistidis dissoluti exigua aliqua adiectione.

19. Si febris ex indicante scopo sit obtundenda, frigida cum cibis elixanda: Eiusmodi sunt; Cichorium, lactuca, spinachia, Portulaca, cucurbita, sem. 4. frig. maior & minor.

20. Contra magnitudinem imminutam, sepositis siccantibus, victu instaurante, ex cibis euchymis studiosè insistendum: vbi specialiter felicitantur caro testidinum nemoralium, cancrorum & ranarum viridium.

DISTINCTIO SEXTA; De Pharmacia.

1. Scopuse, 1. Post diætam Pharmacia aptis medicamentis scopos rae causa indicantes studet explere.

2. Ulceris, 2. Quare si causa ulceris sit catharrus, huic primo loco dissubmouen, ligentèr obuiandum.

3. Vnde ex Galeni decreto: vniuersalia particularibus Gal. lib. 3. præmittantur. Putridi igitur ac praudi humores, qui in ventriculo & primis venis redundant, blando quodam ac cathartico medicamento statim educendi.

4. Hoc concinnabitur ex Cassia, manna, syr. ros. solut. Syrupo viol. solut. Diaprun. simpl. Diacathol. Elect. Lenit. Terebinthina Veneta liquore conuenienti lota, & similibus.

5. Deinde post illam alui lenitionem humores peccantes digerendi sunt & temperandi.

6. In materia subtili & biliosa digestuum tale erit, vel simile. Rec. Syrupi Iuiubini, Capilli Vener. ana vnc. 3. aquæ hordæi lb. j. vel eius loco substituantur aquar. stillat. capilli Vener.

Vener. Violar. scabiosæ ana qr. j. M. pro 3. dosibus.

7. In materia crassa, quæ vel ob moram, vel ob plenitudinem spissitudinem assequitur, digestuum tale fiat. Rec. Mell. rosacei, Syr. de Hyssopo ana vnc. 2. Oxymel. s. Syr. de Glyzeriza ana vnc. j. Syr. de stachade vnc. s. Aquarum: Hyssopi, scabiosæ, Enulæ, farfaræ anā qr. j. Mis. pro 4. dosibus.

8. Peractâ digestione; materia quæ adhuc in pulmones irruit, est cathartico conuenienti & electo exturbanda.

9. Materiam biliosam exturbant; Pilullæ Assaireth, sine quibus esse nolo; Item laudata hæc pilularū descriptio: Rec. Myrabol. citr. Chebul. & Indor. confricator. cum oleo amygdal. dulc. Rhabarb. electi; ana Dr. s. Cinamomi, succi Glyzerizæ, sem. Bombacis & anisi anā scr. j, Cum syr. viol. vel Terebinthina aq. hordei lota f. Pilullæ. Dosis Dr. j. primis 2. mensibus, bis si opus sit.

10. Materiā crassam elidunt Pilullæ Cochiæ: Itē infusum Agarici in decocto pectorali cum cassia & Manna. Item decoctum illud galli antiqui; Re. Passul. mund. Par. 20. Prunor. Iuiub. anā N. 10. sebesten N. 5. radic. Glyz. & Symph. maior. an. vn. s. Medullæ sem. Carthami vn. 4. Agarici albiss. Dr. 2. Insuantur in ventrem Galli decrepiti: Coq. in aq. lb. vj. ad consumpt. tertiae partis. Utatur manè iuscule bis vel 3. primis 2. mensibus, si res id exigat.

11. Postea catharrus sacculis, emplastris & suffitu intercipiendus, erhinnis deriuandus, cerebrum firmandum, tussis inhibenda, pulmones roborandi, & ventriculi orificium à pastū simūl obserandum ijs medicamentis, quæ ex proprio catharri tractatu depromenda.

12. In primis verò hoc loco diligenter aduertendum, illos plerumque calido esse hepate, ventriculo vel corde, qui ad phtisim ob catharros hosce propendent:

13. A calidis enim eiusmodi membris eleuantur summa- Gulielmus
cres.

cres, qui pituitæ permixti ad pulmones ob tenuitatem ci-
Rond. cap. de Phtis. tiùs viam adfectant.

14. His nobili remedio præstituimus hordeatum mundatum cum saccharo rosacco 3. hor. post cænam in lecti introitu; Authore Guliel. Rondol.

15. Porrò si vlcus succedat anginæ, peripneumoniæ, pleuritidi, vel empyemati, tūm pus abstergentibus & mundificantibus diligenter proliendum.

16. Huic negotio deseruiunt, si materia sit crassa & viscosa: Looh san. & expert. de pino, de sqylla, de caulibus, de pulmone vulp. Oxymel simp. comp. squyll. Syrupus de Hyssopo, marrubio, veronica: Item Diacalamenthum, Diaprasium, Diair. Sal.

17. Si autem materia sit tenuis & acris, hoc munus præcipue demandabitur Diatrag. frig. Diapenid. Syr. Iuiubino, Capilli Ven. de farfara. In quo casu etiam hoc electum est medicamentum: Rec. Iuiubar. N. 15. ficuūm N. 10. Passular. enucl. vnc. 1s. Pulmonis vulpini, Glyzericæ rasæ, Capilli Ven. Puluer. Cancror. adustor. an. vnc. 1. Semin. Papaueris albi; Sem. 4. frigid. maior. exhort. violar. an vnc. s. Semin. anisi, Maluæ, Cytonior. portulacæ, Hyssopi fisci an. Dr. 2. Penidiar; facchari q.s. Percoquant. in syrupum pectoralem.

18. Sin verò à sputo sanguinis vlcus impendeat, l. art. facta diuersione, posca vel mulsa statim exforbenda. Mox suppressus fluxus, & vena obturanda ijs medicamentis, quæ sanguinem coagulatum tussi foras quoq; prouoluunt. Ex s. id præstat; radix consol. mai. pimpinellæ, crocus, coagulum Lepor. Ex compositis hoc vel simile medicamentum præstituendum: Rec. spe. Diatrag. frig. Dr. 2. Troschiscor. de terra sigillata Scr. 1. pulueris consolidæ maior. Ser. s. facch. vnc. 2. dissoluti in aq. ros. & cyton. q. f. f. Rotulæ: Item; Rec. cons. rosar. rub. veter. vnc. 2. Boli armeni veri, succi



succi Hypocistidis an. Dr. i. Terræ sigill. Dr. f. Pulu. consol.
mai. scr. 2. Gummi Arabici, Extraæti rad. consolidæ maioris
ana. 3. i. Cum Syr. Myrtino vel de rosi. siccis q. s. F. mixtura.
19. Cohibito sanguinis fluxu, & vena superioribus me-
dicamentis iterum coarctata, si puris aut concreti sanguinis
non nihil in pulmonibus adhuc obhaesitet, ea leniter deter-
gentibus & roborantibus proleßanda: In eum usum vocan-
da; Looh de pulmone vulpis, syrupus de veronica; & si-
milia.

20. Causa ulceris submotâ, eiusq; purulentâ sanie exter-
sa, ipsum est siccantibus & astringentibus ceu quodam glu-
tine coarctandum atq; occludendum.

21. Ex simplicibus id præstant: bolus armena, terra sigil-
lata, testæ cancror. sang. Dracon. Hypocistis, lapis hæma-
titis, oliban. Mastix, carabe, gumi Arabicum, Corallus, rosæ,
balaustia, mirra, radix consol. maioris, & alia eiusmodi:
Dosis horū 3. j. ad 31. Dantur ex vitellis ouorum, cum lacte
vstulato, succo cydonior. rosar. granatorum, syr. myrt. syr.
de ros. siccis: Item cum mulsa, aut syrupo pectorali.

22. Hieronymus Capuaccius tale medicamentum in hoc
casu præscribit: Rec. Terræ Lemniæ Dr. 3. amyli, boli armeni,
rosar. rubear. an. vnc. f. Carabe, granor. myrtian. Dr. vi.
cancror. adustor. sem. portulacæ, an. Dr. xvij. Corall. ru-
beor. Tragacanthæ, spodij, sem. Granatorum sylu. anâ. Dr.
v. succi resiccati fœniculi, liquiritiae anâ. Dr. vij. Cum aqua
rosar. & succo portulacæ f. pastilli. Dosis Dr. j. Per multos
dies cum 3. s. Looh de pulmone vulpis, & aq. Mulsæ vnc. j.

23. Est præterea secretum in hoc casu remedium, si statim
initio, post vniuersalia medicamenta olei vitrioli romani
gutt. 3. vel 4. cum aq. plantag. & rosar. an. Dr. vj. Looh de
pulmone vulpis Dr. 2. præstituantur. Vel flor. sulphur. bis
sublimatorum Dr. i. cum lacte vstulato.

*Secundus
scopus erat
ipsum vte-
rus.*

C Initio



24. Initio quoque, vbi vniuersalia præsidia ritè fuerint administrata, theriaca, mithridatum, diaciminum, trochisci Andronis, Ambrosia & Athanasia possunt rectè à prudenti medico per interualla ægrotis præscribi, vt vlcus siccatum callo citius obdurescat.

3. Scopus
erat pul-
mo.

25. Tertio loco adnotandum, quod pulmo familiaria deſideret medicamenta, quæ totius ſubſtantiae viribus ipſum tueantur.

26. Hac ratione ipſi conferunt; caro Ericij, pulmo vulpis, cancri fluuiatiles combuſti, limaciæ & ranæ virides præparatæ, Alchymilla, pulmonaria, cornu cerui præparatum.

27. Vnde hæc confocianda ſunt cum ijs medicamentis, quæ phtifi curandæ deſtinantur.

4. Scopus
erat febris.

28. Ad infringendam quarto loco hecticam febrim tale vel ſimile medicamentum phtifīcī concinnabitur: Rec. Cancror. fluuial. lotor. aq. hord. calida N. 30. Coquantur in lb. 1. f. Pthisanæ hordeaceæ, & vini optimi lb. s. Postea contūdantur in morrario: Expressioni add. aq. Borrag. Bugloſſæ, roſar. Meliſſæ ana. lb. j. 3iij. Pomor. aurantior. acidul. N. 2. flor. viol. P. 2. Borrag. P. j. Sem. Anisi, fœniculi, ana. Dr. 2. rad. Ir̄eos Dr. j. Liquiritiæ Dr. 2. sem. Papaueris albi, Lactucæ, Portulacæ, Maluæ, Cucurbitæ, Melonum, Pepo- num, Anguriæ ana. Dr. 1. s. Contundenda contundantur; & in prædictis aquis infundantur per noctem. Postea diſtil- lentur in balneo Mariæ: Diſtillato liquori affocientut Tab. Diatriion ſandal. vnc. 2. Diarhodon, manus Christi perlati an. vnc. 1. ſpr. Diatrag. frig. D. 2. F. potus.

29. Per ſanato vlcere, & febri conſopitâ, vires quinto lo- co instaurandæ, & imminuta magnitudo reparanda:

5. Scopus
magnitudo
erat immi-
nuta.

30. Hoc præſtāt. El. Resumpt. sps. Diathamar. Dianthous: Conf. Bugloſſæ, Borrag. violar. Item ſtillatitij liquores, pi- gnolata, morsuli, Tragæmata à doctis viris concinnata: quo- rum vberem ſyluam apud Practicos habemus.

31. Va-

31. Vaga phtisis symptomata sunt; fluxus ventris, alui
constipatio, fastidium cibi, vigiliae: 6. erant
Vaga sym.
ptomata-
32. Ab his si præsens malum & gro immineat, medicamen-
tis quoq; idoneis illis obnitendum.
33. Illa prudens & exercitatus medicus dextrè ex artis
præscripto admouebit.
34. Postremò cheirurgiæ in hoc morbo locus non adeò
suppetit.
35. Si verò vlcus à fluxu acrum humorum ex capite in
pulmones irruentium adhuc succrescat, tūm malo non ad-
modū progresso, mite cauteriū in futurâ coronaliaffigendū.
36. Item si destillatio foueatur ab infernis partibus, vt à Gal. 5.
Meth. M.
cap. 14.
iecore, cauteria etiam cruribus inducenda.
37. Deniq; si aimoptosis vlcus inuexerit à suppressorum
mensium palindrome, saphena quoq; incidi potrſt.
38. Auicenna etiam arbitratur fortibus venam pertun-
pi posse ad epatis calorem mitigandum.

COROLLARIA.

I.

NVM quinta aliqua essentia in corporibus quibusdam natura-
libus sit admittenda, quæ ex peruulgatis quatuor Elemento-
rum seminariis minimè succrescat? A.

2. Num quinta eiusmodi essentia à viuis corporibus ita
secludi posſit, ut seorsim ea chymicis obueniat? N.
3. Num famosus lapis philosophicus, polydædalæ istius operationis, u
passim inualuit persuasio, ex naturæ thesauris posſit conſlari? N.
4. Num decrepita senectus chymicorum extractis posſit reuirescere,
ut ipsi elato supercilio interdum affeuerant? N.
5. Num aurum potabile caloris natiui iacturam resarciat, & humi-
dum radicale instauret atq; reparet? N.
6. Num Panacea, quam miris laudibus chymici passim ebuccinant,
ſit po-

sit potius ratione essentiae inimitum venenum, quam salutare pharmacum? P. A.

7. Num stibia eiusdem quoq; sit farinæ? A.

8. Num unguento armillari naturaliter persanetur vulnus, ubi inter unguentum, & vulnus ipsum, multa passim miliaria intercurunt? N.

9. Num philtoris amor certæ alicuius personæ, alicui posse naturaliter induci? N.

10. Num sage, aut vultu, aut carmine, aut oris afflatu, aut etiam membra cuiusdam externo solùm contactu, aliquem intoxicare possint, ut vulgaris percrebuit opinio? N.

Nisi loco cuiusdam corporis vulnerato, cruento vel saucato, affrcent venenum, & inde in sanguinem spiritus, malignus vapor innolare possit.

11. Num venenum alicubi possint ita, vel aperte prosemicare; vel clanculum consepelire & obruere; vel fontibus etiam immergere, usque eius pernicies certæ alicui personæ destinata, speciale duntaxat hominem, non generaliter omnem oblaedat: immo nec ipsis sagis officiat, quæ venenum secum deportant? N.

12. Num sage magica arte, lignum, ossa, ferrum aut chalybem partibus internis possint intrudere, quæ ex iis interdum prorupisse visa sunt, ubi magnitudine contentum continens exuperasset? N.

13. Num venena sagarum naturalibus antidotis possimus expugnare? A.

14. Num sage semper infligant morbos, quos induxisse se arbitrantur? N.

F I N I S.



99 A 6903

(Nr. 24
richt
aufgerichtet)

ULB Halle
002 636 220



(9)

V077

TA-OL

erit ad suffocationem

Operari certe

qui in hunc nubem committit videntur

Ex parte operis. etiam Tunc teneat.

notificari non in
universitate in unius
ipsa facta est ad
cooperantibus in
unum oblationem
ad populi amorem. s. in
ad populi amorem. s. in
intra. etiam cum
populi pessima. L. quod
upd. in dicitur. etiam in
etiam pessima. H. quod
od. in dicitur. s. in
dicatur etiam in dicitur. L. quod
in. etiam in dicitur. etiam in
lum. s. in dicitur. etiam in
obligo. s. in dicitur. etiam in
obligo. s. in dicitur. etiam in
lum. s. in dicitur. etiam in

Farbkarte #13

B.I.G.



3.
SES MEDICÆ
ISI EIVS
RATIONE:
bus
RI IVLIA:
E IEHOVA:
C. E.
NIFICO ET CLA
NCISCO PARCOVIO,
ctor, eiusdemque facultatis
Decano, ac pro tempore
vicerector;
rte Medica Doctor
signia;
nabitur
*THAEVS Rinthelensis Reipub
bysicus Ordinarius.*
25. Septembris
ESTADII
*bus Lucius, Anno
XCVI.*